

1539

*Aloysius
Baduarius
orator ad
Turcas, &
mandata ei
tributa.*

simos, ac publica spectacula ob Regis filiae cum Rusteno Bassa connubium, duorumque filiorum circumcisionem Byzantii parari; in iis solemnibus concelebrandis in lætitiā effusa civitate, a Bassis Reipublicae legatum exoptari. Nonnullis mitti Senatus scribam placebat. Nec deerant, qui Joanni Matthæo Bembo, Ascrivii prætori, quo celerius iter conficeret, id munus tribuerent. Tandem cum frequens Senatus legatum mittendum censuisset, Aloysius Baduarius designatus est, qui paulo ante in suggestu Patres ad decretum de legato mittendo vehementi oratione fuerat cohortatus; atque suam operam orando, optima fortunati eventus spe Patrum animis injecta, detulerat. Baduario in mandatis datur, ut quamprimum itineri se committat, ac Byzantium proficiscatur: Cantelmio Gallo communes inducias non obtinente, de renovanda pace Reipublicae nomine ageret; quam nisi æquioribus legibus pacisci, & quæ occupata ab hostibus fuerant, recipere posset, priscis conditionibus, uti Contareno jussum fuerat, ad concordiam deveniat: pro Nauplio, & Epidauro annuam quinque ad sex aureorum summam, atque in belli impensas, & damna, quæ ut sarcirentur, Turcæ a Republica flagitabant, a ducentis ad trecenta aureorum millia promittendi facultas permittitur. Eodem tempore ad deliniendos Principum animos duo legati, creati: Antonius Capellius ad Cæsarem, Vincentius Grimanus ad Regem designati.

*Antonius
Capellius
ad Cæsarem,
Vicentius
Grimanus
ad Franci-
scum Regem
oratores.*

M. D. XXXX.

1540

*Cæsar a
Francisco
Rege Lute-
riæ excipi-
tur.*

Cæsar interim anno ineunte cum Lutetiam pervenisset, a Rege honorificentissime exceptus, omnibus necessitudinis, ac benevolentiae officiis excultus est, ut oblitterata odia, ac similitudines prorsus restinctæ viderentur, quibus per tot annos certando, provincias, & populos contriverant, atque afflixerant. Corolus, ut egregium aliquod conciliatæ amicitiae argumentum ederet, Delphinum, ac fratrem Aurelianum Ducem aureo vellere donavit. Christophorus Capellius, Reipublicae legatus, quæ Vastio, atque Hanebaldo Senatus decreto responsa fuerant, utrisque significavit. Cæsar summo se dolore affici, inquit, quod anni tempus eo usque provectum esset,

*Cæsaris re-
sponsum ad
Christopho-
rum Capel-
lium oratorem.*